



DE UNICORNU. 243

auctor, antiquis scriptum erat, *caudis villosis*, pro *cauda suilla*. Quam lectionem auctor commentus est ex depravata exemplarium scriptura, *caudas villa*, quam, *caudis villosis*, putavit corrigendum, ut monet ad Solinum Cl. *Salmasius*. At *Solinus* more suo, *Plinianas* historias levi vel transpositione vel immutatione suas facturum, pro apro affinem suum, pro mugitu gravi, horridum, in contextum subrogavit. *Medicæus* autem *Geographi* codex caudam *Monocerotis Cervo* similem cum reliquo corpore repræsentat.

Jam cornu ipsum adeo decantatum colorum externorum specie variantes peperit opiniones. Plurimæ tamen in nigriore conveniunt temperato, apud *Ælianum*, *Plinium*, & *Amatum Lusitanum*, qui subnigrum ex *Lusitanorum* relatione confirmat. Solus hic in diversum abit *Solinus* cap. 51. de *India*, mirificum splendorem cornu assignans: *Cornu è media fronte ejus protenditur, splendore mirifico*. Qui cum nigrore adversa
L 2 mixtu.